

1359-1359- OFP - Acta Capitulorum Generalium apud Pragam Celebrati

In nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen.
 Hec sunt acta capituli generalis apud Pragam celebrati
 anno Domini · M° · CCC° · LIX° .

Iste sunt inchoaciones.

Inchoamus hanc: In capitulo de capitulo provinciali, ubi dicitur circa finem: tractatibus capituli nullatenus admittatur, addatur sic: nullus eciam frater, cuiuscumque condicioneis et status existat, ex quacumque causa ab obediencia vel correctione ordinis exemptus (est) huiusmodi tractatibus admittatur, nec in aliqua electione aut actu ordinis huiusmodi frater vocem habeat nec ad prelacionem nec ad officium quodcumque ordinis possit assumi, et statim sequatur, ut ibi [ponitur]: prior autem et ipsi etc.

Item. Quod de lancea et clavis fiat festum simplex prima feria sexta post octavas resurrectionis.

Item. Quod de sancta Edwige fiant tres lectiones idibus octobris.

Iste sunt approbaciones.

Approbamus hanc: In capitulo de capitulo provinciali, ubi dicitur: prior illius loci, ubi capitulum provinciale fuerit celebrandum, cum diffinitoribus capituli in celebracione procedat eiusdem, addatur: quilibet autem vicarius generalis provincie, per quemcumque modum fuerit legitime institutus, in absencia prioris provincialis locum provincialis teneat, fidelium dicat et licenciam loquendi tribuat et possit concedere litteras de beneficiis ordinis, durante capitulo dumtaxat; et statim sequatur, prout ponitur ibi: predicti igitur diffinidores etc.

Iste sunt ordinaciones et ammoniciones.

In primis volumus et sub pena gravioris culpe, quam ipso facto transgrediens incurrat et quam substinere per presidentem, postquam ei legitime constiterit, decem diebus infra mensem sub pena consimili compellatur, districtissime ordinamus, quatenus nullus frater quodcumque monasterium feminarum intrare presumat, nisi in casibus in constitutionibus sororum ordinis concessis, exceptis locis, in quibus predicare vel confessiones audire aut comedere aut dormire fratres conventus consueverunt in monasteriis antedictis. Nullus frater sub pena antedicta arma quecumque super se aut extra conventum portare et tabernas in locis, ubi conventum habemus, audeat intrare, nisi forsitan causa audiendi confessiones alicuius decumbentis ibidem.

Item. Mandamus fratribus universis, quatenus prelatis ecclesiasticis debitam reverenciam impendant et ab ipsis turbacione summopere caveant nec abutantur privilegiis nostro ordini concessis, sed cum omni diligencia et humilitate se habeant in predictis. In diebus eciam determinatis a canone in suis predicationibus fratres persuadeant populis, quod decimas solvant, prout tenentur, sacerdotibus parochialibus, cum ad hoc fratres fuerint ab ipsis requisiti. Nullus quoque frater vel conventus in iudicio quocumque a nobis extraneo per se vel per alium audeat procurare aut quascumque recipere cessiones, nisi de prioris provincialis licencia speciali in scriptis obtenta, prius tamen per narrationem prioris et consilii conventus de iusticia cause plenius informati.

Fratres denique, nisi fuerint in divino officio, cantu et grammatica sufficienter instructi, aut non fuerint secundum canones legitime etatis ad sacros ordines promoveri, vel eciam, ut promoteantur, presentari non possint; et hec omnia et singula sub pena gravioris culpe per decem dies continuos per presidentes infra mensem, postquam legitime constiterit alicui predictorum, transgressoribus imponendo. Si qui vero fratres iuvenes sic negligenter profecerint in predictis, quod cum ad legitimam etatem pervenerint, propter defectum litterature, ut predictum est, promoveri non debeant, reverendus pater magister ordinis mandat prioribus provincialibus universis, quatenus huiusmodi iuvenes sic ineptos ex clericis conversos faciant, postquam de tali insufficiencia eis constiterit, infra mensem.

Item. Sub pena excommunicacionis mandamus et imponimus fratribus universis, quod de cetero nullus per se vel per alium emat quamcumque possessionem vel redditum simpliciter vel ad vitam aut ad quodcumque tempus a quacumque persona vel conventu vel collegio, sive sit ordinis sive non; et iam empta vendantur aut aliter expediantur infra tres menses a noticia presencium, alioquin, si qua in posterum ementur, statim cum empta fuerint, quomodo iam empta sunt, elapsa iam dicto termino ex nunc pro tunc conventui, de quo huiusmodi frater extiterit, applicamus simpliciter et ex toto, ordinantes nichilominus, quod infra sex menses, postquam fuerint conventui applicata, ipse conventus de eisdem se expediatur, nec quamcumque porcionem pecunie inde habite dare possit fratri, cuius illa fuerunt.

Item. Volumus et ordinamus, quod in singulis conventibus per tres fratres antiquiores in ordine infra mensem a noticia presencium examinetur habitus cuiuscumque fratris de conventu quoad materiam et quoad formam, et si invenerint aliquid reformatum, mandent illi fratri, quod infra mensem reformatum; quod si non fecerit, ex tunc voce privatus sit, et vestis sit provincie applicata. Si vero illi fratres antiquiores in hoc negligentes inventi fuerint, per priorem provinciale acriter puniantur.

Discursus eciam priorum et lectorum per provinciale et aliorum fratrum per presidentem precipue studencium compescantur.

Item. Omni distinctione, qua pussumus, inhibemus, ne frater aliquis extra commune dormitorium sanus existens cameram habeat aut clavem ipsius teneat, eciamsi ipsam ex appropriatis sibi sumptibus fabricasset, nisi fuerit prior provincialis vel sit magister in theologia aut quinquagesimum annum in ordine compleverit, et alias iudicio

provincialis sit frater emeritus, et nisi sit actu inquisitor, de beneplacito tamen provincialis, ubi hoc de inquisitoribus fuerit consuetum.

Item. Mandamus prioribus provincialibus universis et conventionalibus aliisque presidentibus, quatenus omnem apostatam ad ordinem redeuntem compellant propter dictum apostasie vicium ad faciendam penam gravioris culpe per tres menses ad minus, et ad iejunandum, ut constitucio dicit, duobus [diebus] in pane et aqua singulis septimanis. Qui vero ultra apostasiam alia crimina sive in ordine sive in dicta apostasia inventi fuerint [commisisse], iuxta nostrarum constitutionum tenorem acrius puniantur. Incarcerati vero ex quacumque legitima culpa non possint ante annum ab ipsorum inclusione a carcere liberari, et, ut scandalosi et criminosi fratres puniri valeant, ut tenemur, imponimus prioribus provincialibus et diffinitoribus capitulorum provincialium universis, quatenus sic ordinent, quod ante festum nativitatis domini in suis provinciis sint tot firmi carceres, quot conventus. Provinciales autem sic provideant cum nervis et catenis [et] aliis instrumentis ferreis, prout necesse fuerit, quod de ipsis carceribus fugere non valeant carcerati.

Item. Ut predicta omnia et alia, que reformacione indigent, melius possint executioni mandari, imponimus prioribus provincialibus universis, quatenus singuli super certos conventus sue provincie sex videlicet vel plures vel pauciores, prout eis videbitur expedire, sic tamen, quod nullus conventus huiusmodi vicario careat, aliquem fratrem religiosum et zelatorem vicarium instituant cum debita auctoritate, qui per conventus sibi commissos discurrens et in eorum quolibet, quantum ei opportunum videbitur, moram contrahens, et iterum si opus fuerit rediens, tam presidentes quam subditos, si opus fuerit, verbis et exemplis per ordinaciones et penas positivas et privativas ad sequelam chori et refectorii et ad alias observancias regulares compellat et ad servandum ordinaciones reverendi patris magistri ordinis et capitulorum et priorum provincialium, quas factas repererit, in conventibus antedictis.

Item. Ordinaciones omnes et singulas factas in actis capituli generalis immediate precedentis apud Argentinam celebrati innovamus et eas volumus immobiliter observari¹, excepta ordinacione de confessoribus monasteriorum², et excepta formacione ordinacionis illius, quod fratres ad conventus, pro quibus recepti sunt, redire cogantur³; quam ordinacionem sic reformamus: quod omnes fratres ordinis, magistris in theologia duntaxat exceptis, ad conventus ipsos, pro quibus sunt recepti ad ordinem, simpliciter revocamus, nisi propter officia aut studia aut scandala vel propter aliam causam racionabilem prioribus provincialibus illorum fratrum aliter videatur, et nisi alteri provincie auctoritate magistri ordinis fuerint assignati. Quas ordinaciones tam prefati capituli innovatas quam presentis capituli superscriptas singulis mensibus legi mandamus coram quolibet conventu in capitulo vel in mensa. Omnes autem gracias, licencias, eciam de monasteriorum ingressu, per quemcumque prelatum ordinis sub quacumque forma verborum cucumque concessas, eciam de revocatione ipsarum mencionem de verbo ad verbum oportet fieri speciale, reverendus pater magister ordinis revocat et annullat de diffinitorum consilio et assensu, mandans prioribus provincialibus, quod de cetero sine causa urgente huiusmodi gracias non concedant.

Iste sunt declaraciones.

Declaramus, quod cum secundum privilegia ordini nostro concessa inquisidores heretice pravitatis suis presidentibus sint simpliciter subiecti, ipsi inquisidores de personalibus priori suo conventionali, de pertinentibus autem ad inquisitionis officium priori provinciali rationem reddere teneantur.

Item. Declaramus, quod idem intelligatur de canabe, bombice, sicut de lineis non utendis ad carnem.

Actis additae sunt litterae magistri ordinis; cf. app. n. XCVII.

¹ Cf. supra pag. 382 l. 30 sqq.

² Cf. supra pag. 383 l. 19 sqq.

³ Cf. ibid. l. 22 sqq.